


**05**

**A**

**1518**





N. 9.

Q. F. F. Q. S.

EX PHILOSOPHIA MORALI  
De

# POENNA

## IN EFFIGIE,

PRÆSIDE

### M. GEORGIO LUDO-

### VICO GOLDNERO,

A FONT. SAL. FRANCO,

*disputabit publicè*

*In Illustri ad Albim Academia,*

JOHANNES FRIDERICUS FROSCHIUS,

DOEHLA VARISCUS,

PHIL. & SS. THEOL. STUD.

AD D. XIII. DECEMBR. A. c 1s 13c XC.

HORTIS MATUTIN.



WITTENBERGÆ,

Typis MATTHÆI HENCKELII, Acad. Typogr.

81

UIRO IUVENI PRÆCLARISSIMO  
ac eruditissimo Dno. Joanni Pox-  
stio Phil. & SS. Theol. studioso, suo  
fraternali observantia et amore



VIRO  
NOBILISSIMO, AMPLISSIMO, EXCEL-  
LENTISSIMOQVE  
DN. MICHAELI  
STRAUCHIO,  
SUPERIORUM MATHEMATUM  
PROFESSORI PUBLICO  
LONGE CELEBERRIMO,

*Domino Præceptori, Mecænati, Evergetæ  
ac Hospiti suo omni honoris & observantiæ cultu  
etatem de-venerando,*



In  
ulteriore[m] studiorum suorum  
commendationem

05 A 1518

&  
piæ gratæqve[m] mentis τεκμήριον  
*Hanc Disputationem Academicam*

D. D. D.

RESPONDENS.



ΘΕΟΣ! ΘΕΟΣ!

**A** ΒΟΥ, quod ajunt, nobis ordiendum  
esset, & ex antiquitatis monumentis, pœna, quam delinean-  
dam sumimus, altiùs repetenda origo: ut constaret. pla-  
numque fieret omnibus, non hoc demùm cœpisse illam seculo; sed  
antiquissimis jam temporibus, alio sine licet & consilio, aliâque ac diversâ  
ratione in imagines statuasque statutam, atque adeò usu suffragioque sa-  
niorum gentium comprobata esse; & ita pateret, veterum recentiores le-  
gisse vestigia, illorumque instituta, uti multis in rebus aliis; ita & hâc  
in parte prudenti fuisse imitatos ratione: quò cum tot pœnarum genera  
nondum sufficerent reprimendæ hominum nequitiæ, ac restringendæ effre-  
nate indomitæque libidini; sed multi subinde fugâ elapsi, fuissent impune,  
aliisque pessimæ notæ hominibus, hâc scelerum illèctis impunitate, quidlibet  
audendi monstrassent occasionem præbuisserentque licentiam, vel sic tandem  
extaret medium, publicæ conservanda tranquillitati; & pœna esset, quæ ab-  
sentes quoque maneret, fugientesque insectaretur. At enim verò ne fal-  
cem in alienam videamur misisse messem, sicco hæc omnia pede nobis transe-  
unda erunt, quibus animus est, argumentis ex morali petitis doctrina rem  
conficere præsentem, atque ita nonnisi ea excutienda, quæ ad institutum  
pertinere propiùs videbuntur. Faxit summus justissimusque scelerum vi-  
dex feliciter!

S. I.

**V**Oces non morabimur; hinc nec explicandis iis immorandum no-  
bis existimamus: quâ etiam operâ opus eò minùs erit; quò nota  
magis atque explicata ea esse novimus, quæ de vocibus in rubricâ posi-  
tis ratione originis & significationis tradi solent; & quò minùs in laude  
ponimus, ubique B.L. obtundere obviis. Quare hæc, & quæ ad ὀνομα-  
τολογίαν spectant cætera, meritò prætermittimus.

S. II. Multò autem magis operæ nos facturos pretium censemus,  
in limine exposituri, quæ naturam pœnæ constituunt: quò eò faciliùs re-  
ctiùsque intelligi possit, quid hoc de pœnarum genere, quod in præsen-  
ti disputamus, sentiendum sit, & inoffenso postea pede progredi ad reli-  
qua queamus. Princeps ingeniorum GROTIUS, brevem nobis succin-

A 2

ctam

Etamque poenae definitionem suppeditat; poena, inqviens, est malum passionis, quod infligitur ob malum actionis. (a) Magis perspicue rem hanc proponit celeberrimus PUFENDORFIUS, poenam definiens per malum aliquod molestum, quod per modum coactionis, & pro imperio, intuitu antegressi delicti, alicui imponitur. (b) Molestiam poena creet oportet, & malum doloremque inferat, jam graviolem & majorem, jam vero pro ratione delicti minorem leuioremque. Nam coercenda per poenam libido peccandi est, & vitis, ut ait Grotius (c) adimenda illecebra, quod fieri rectius nequit, quam si dolore quodam subsequente saporem amittant dulcedinis. Violenti rationem igitur poena habet, in quod nemo fertur; sed quod averfantur omnes: nam sive coacte agens aliquid, sive patiens, dolore afficiatur, sive bono uno pluribusve privetur, neutrum horum sub boni se colore commendat voluntati. Quare illud sponte sua inde fluit, non nisi invito poenam infligi posse; hoc Nobilissimus PUFENDORFIUS innuit, dum per coactionis modum, imponi poenam, dicit. Id quod ex poenarum, qui intenditur sine, ostendi optimè cognoscique potest: qui omnium suffragio & ille; ut à peccatis homines deterreant acerbitate sua: d) quo sanè prorsus exciderent, si eligente infligerentur & consentiente voluntate: Tantum enim abest, ut quod lubentes admittimus, refrenet illicitas voluptates, ut potius excitet eas magisque accendat.

a) Lib II. J. B. & P. C. XX. §. I. Quam definitionem laborare vitio, B. ZIEGLERUS ac definito angustiolem censet, dum actus Omissionis omissos putat, quibus contra legem affirmantem, uti actibus commissionis contra negantem peccatur. In notis ad h. l. Sed vindicat eam defenditque Excell. KULPISIUS in Grotiano Collegio Exerc. IX. annot. 2. §. 1.

b) Lib. VIII. C. III. §. 4. J. N. & G. c) L. II. C. XX. §. VII.

d) Pufend. L. c. §. 4 Vid. etiam Becmanus Meditat. Polit. Diss. XV. §. 3. Et hinc fit, quod nemo se ipsum afficere poenà, accuratè loquendi ratione dici possit; quia quod fugimus, hac ratione appetere mus; quae verò pugnant. Quod & nec amor in nosmet ipsos tenerrimus permittit: hinc nec propriarum instrumenta poenarum esse possumus. Ex quo rejiciendi mores quorundam populorum, impr. Japanensium sunt, reis ut sibi mortem consciscant ipsis, imperantium. Becm. l. c. Inde quoque, quid cause subsit, intelligimus, quod sepius poenae crescant atque augeantur, cum contemni ab improbis animadvertit Magistratus, nec amplius evitari; quia scil. finem suum tunc non obtinent, nec molestiam rei experiuntur, quam Superior inferre ipsis vult, nec adeo invitis infliguntur. §. III.

§. III. Cùm autem non omne, quod homo, sustinet malum, pœ-  
næ nomine venire debeat; nec omnis, qui patitur, puniri dicendus, por-  
rò requiri perspicuum est, ut reddatur delicto. Omnis pœna requirit  
culpam. In hoc enim potissimum pœnæ consistit natura, ut propter  
culpam irrogetur, ex legis transgressione contractam: quâ sublatâ, pœ-  
næ minimè locus esse potest. Et ut verbis Excellentissimi DNI. ROEH-  
RENSEE, Patroni nostri piè sancteque colendi, rem hanc exprimere  
ac declarare nobis liceat, *tam necessarius ac inseparabilis nexus est, inter pœ-  
nam, reatum & culpam, qualis inter consequens & antecedens intercedit,  
ut dato consequente necessum sit, dari etiam antecedens, et si contrâ non  
valeat.* e) Huc illud Antistitis Hipponensium spectat: *Omnis pœna, si  
justa est, peccati pœna est.* f) Non igitur calamitates & incommoda,  
quæ sæpè patiuntur homines, vel morbo correpti contagioso, vel muti-  
li, aut variis impuritatibus infecti, inter pœnas referenda sunt. Elean-  
ter parens eloquentiæ Cicero, g) *Sed nec iis pœna instigitur, quorum  
membra medici secant, vel adurunt, vel qui ob contagiosâ luis impuritatem  
cedere castris vel urbe coguntur. Ubi enim delictum nullum antecessit, pœ-  
na non intelligitur.*

e) *Dissert. de pœna innocentis §. V. f) Libr. II. Retract. C. IX. g) In Pison.*  
*Et hinc etiam actus innoxii, quibus nihil delinquitur, pœnis non subja-  
cent; Et si quæ innocentibus mala sustinenda, passiones, non verò pœnæ  
sunt, etiam si pœnæ nomine auctoritate indicta publicâ sint: Non enim omne  
id malum, quod quis solâ auctoritate publicâ indictum patitur, pœna est;  
Sæpe enim fit, ut patiantur idem, & qui culpam delicto contraxit, & qui  
crimine insons, quia & innocentia interdum leve presidium.*

§. IV. Quod si delicta igitur subjacent pœnis, in ea cadere omnia  
nullo pacto poterunt, quibus nulla delinquendi facultas est: in quorum  
numero bruta sunt, & res, quæ vitam neque habent, neque habuerunt  
unquam. De brutis dicere, nil attinet, cùm & ab instituto alienum sit,  
& hujus rationes asserti, notæ magis atque certæ, quàm ut repetendas  
hîc, fufiusque putem explicandas. Nam delictum, quod ex violatâ lege  
oritur, non nisi à liberè proficisci agente potest, qui ratione pariter ac  
voluntate gaudeat: quæ cùm dici de brutis nequeant, nec etiam illis tri-  
bui delictum poterit; & hoc si abest, nec locum invenit culpa, culpâ re-  
motâ, exulat & pœna. De rebus non ratione solum; sed vitâ etiam sen-  
suque destitutis, res magis perspicua, & posita extra omnem dubitatio-  
nis aleam est: cujus reddere rationes in proclivi esset, nisi partim ex di-

sputatis hæcenus abundè constarent; partim infrà proferendæ. Decidendum se posteris præbuit Atheniensium DRACO, bruta & inanima, lapides, ferrum, ligna, exterminanda urbe statuens, si quò casu interfecissent hominem, vel si quis interemptus iisdem fuisset instrumentis. h) Quæ hòc magis absurda lex videtur, quò minùs etiam in homine puniri solent ac possunt, quæ commissa casu & fortuito, ac omni sine intentione sunt: quam tamen litem nostram nunc non facimus. Videmus igitur exemptas pœnis res inanimatas esse; & nihilo tamen minùs, urbes, domus, templa, statuas, imaginesque, res & sine rationis usu, & sine legibus, persœpe subiisse pœnas, curiosis non minùs, quàm prudentibus rerum Scriptoribus observatum est. Facerem dictis fidem, & conficerem hæc exemplis, extra oleas vagari si liceret, cui disputare illam in præsentem pœnam constitutum est, quæ in effigiem statuitur.

b) *Demosthen. in Aristocr. Quamvis fortè suppetat ratio quædam non inepta, excusandi hujus legislatoris institutum.*

§. V. Quod ingressuris obversatur ante oculos effigies, de quâ monenda prius nonnulla videntur. Ubi observandum est, illud quàm requiri maximè, ut ad vivum effigies i) quantum fieri potest, exprimat vultum faciemque ejus, qui pœnam hancce promeruit, eumque adeò accuratè repræsentet ac exhibeat, ut ab omnibus, quibus innotuit reus, jam etiam vel primo cognosci intuitu ex effigie possit. Alioqui enim hæc inepta esset ac inanis puniendi ratio, suoque profus excideret fini, si alia quæcunque in supplicii scenâ imago appareret, nec illius, quem pœnâ hæc omnes norunt, afficiendum: finis autem, quò excidere pœnam hanc diximus, ille est: ut rei cumprimis, nec non pœnæ idea & imago, spectantium imprimatur animis. k) Circa materiam, non æquè sollicitos deprehendimus, quibus puniendi concessum jus est: Unde jam propriè dictam picturam imaginemque, pictoris artificio delineatam in tabulâ, jam effigiem ac statuam ex lapide, ligno, aliâque materiâ confectam, imò &, quod ridiculum videtur, stramineam, in supplicii locum raptam, observes licet. Præterea & illud hîc in quæstione versatur, utrum in qualibet cunque fieri hoc effigie possit ac soleat; an verò in eâ solùm, quæ jam antea extructa honoris memoriæque causa fuit. Hodie nullo habito discrimine, quæcunque sit effigies, pœnæ subijciitur: sive ficta eò demum tempore jussu Magistratus sit, quo supplicium sumendum; sive damnatus ipse imaginem sibi quondam faciendam curaverit, id perinde est: quamvis dissimulare non liceat, si jam confecta ha-

bc-



beri effigies possit, eam plerumque adhiberi. 1) Quod non æquè olim obtinuisse, ex diverso fine, liquidissimè constat.

i) Effigies ab imagine ac simulacro, quæ idem sunt, quiddam differunt. Nam simulacra sunt, & quæ pinguntur, & quæ finguntur. Effigies autem, non quæ pingitur, sed quod ipsum nomen arguit, quæ fingitur. Quæ non rectè distinguit Valla, & ab eruditis propterea notatur. Tàm late igitur patet imago, aut simulacrum, ut effigiem complectatur. Quæ Auctores nunquam confundunt; sed accuratè distinguunt; nec obstat, quod interdum à parte transeundo ad totum, effigiem & simulacrum, aut imaginem, unâ loquendi ratione efferant atque conjungant. P. Manut. Comment. in Ep. XII. Fam. Lib. V. Cic. Auson. Popp. de differ. Verb. p. 129.

k) Vid. Andr. Frommannus, Jctus celeberr. & Tubingensium quondam Decus, in dissert. inaugural. De Execut. in effigie §. XII. l) Frommannus ibid.

§. VI. Non verò ea effigiei pœna m.) hîc in censum venit, adhibita infamiæ causa: quam accessoriam vocant, & quæ cum aliis quoque pœnarum generibus, reis etiam præsentibus infligi solitis, conjuncta: cum, præterquam quod reus ultimum jam supplicium vel in corpore, vel imagine sustinuit, omnes etiam ejus imagines, statuas, insignia, & hujus generis alia, vel impetu vulgi Magistratus permisso, vel certo decreto per carnifices & lictores in loco publico conspectuque omnium confringuntur, destruuntur & corrumpuntur, atque adeò omnia, quæ honoris & memoriæ causâ supersunt ac habentur, prorsus abolentur. Illa enim à solenni executione in effigie, de quâ nobis nunc sermo, quæ pœna princeps est, speciemque ac veræ pœnæ exemplar præbet, multùm distincta.

m) Nec huc pertinent incantatorum, qui peculiari nomine Vultivoli aut Vultuarii vocantur, detestanda artes: quibus & in imaginibus imprætereis, aut aliâ molliori materiâ expressis, vindictam ab hominibus sumunt, eosque absentes miserè cruciant. Quorsum vid. Car. du Fresne Glossar. Tom. III. p. 1381. Frommanni tract. de Fascinat. p. 718. sqq.

§. VII. Hæc igitur est: Quæ effigies vel imago rei, vel fugæ elapsi, vel etiam demortui, ob gravius atrociusque crimen commissum, jussu Magistratûs eò modò plectitur, quò reus ipse præsens plectendus esset, ad indicandam criminis atrocitatem ac detestationem, nec non exemplum edendum, quò deterreantur ceteri.

§. VIII.

§. VIII. Primum de illo videamus, cur absentes mortuosque poena hæc maneat. Illud omnes intelligunt, non ordinariam eam esse; sed hoc excogitatum consilio, ut quando puniendi ordinariæ rationi locus non est; sed reus, cui luendum in corpore scelus esset, supplicium evitaturus, fugâ discesserit, præter ordinem, quod in corpore non patitur, in effigie experiatur. Quoties ergo cunqve copia fieri rei potest, imaginaria hæc poena locum non invenit; quia tunc ordinaria poena proprièque sic dicta, quæ sensu doloris absolvitur, & sola delicto par ac ex æquo respondere censetur, adhibenda; sed tùm demùm, si vel eruperit damnatus, vel morte inopinâ & præmaturâ obierit, poenamque ita ordinariam evaserit. Ordinaria enim remedia excludunt extraordinaria, nec ubi viâ incedendum ordinariâ, deflectendum. Hinc etiam hæc fertur conditione sententia, ut si capi reus ipse non poterit, supplicium ab effigie ejus sumatur. n) Verbis hoc latæ in Ue-feldium sententiæ, probatum de sequentibus: *Daferne man C. G. B. U. Person nicht kan mächtig werden / soll seine execution in effigie geschehen.* o) Quod præterea & inde conficitur, quia hîc de capitalibus criminibus quæstio est, non nisi morte piandis, & vindicandis cruento, non verò umbratili supplicio, si copiam fecerit sui, qui crimen ejusmodi patravit.

m.) *Fromm. §. XXII. e.) D. Philippi Us. Pract. l. IV. Ecl. 30. p. 1004. Fuit quoddam poenæ genus ap. Persas cujus mihi opportunè nunc in mentem venit, non quidem in effigie; sed vestibus, quo etiam in præsentibus reos animadvertabant, non ut morti traderentur, sed ut ab illâ liberarentur. Noxiis enim ad vicem capitum, tiaras amputabant. Ita pariter in criminibus non capitalibus, ne secarent aures, pendentia ex galeris fila præcidebant. Diverso igitur à nostro, instituto. Illa enim consuetudo, ad in dulgentias poenarum spectabat & clementiæ argumentum præbebat: Et hanc Artaxerxi quem Macrochira vocant, adscribit Amm. Marcell. L. XXX. C. VIII. Edit. Vales.*

§. IX. Deinde illud poena hæc peculiare habet, ut non in omnibus, sed solum atrocioribus & ultimi supplicii delictis adhibeatur: quemadmodum enim quælibet fermè poena certo cuidam destinata delicto est; ita & hæc non nisi gravioribus. Cujus rei taceo nunc rationes, inferius adducendas, & cùm ex diversâ ratione delictorum & naturâ, tùm ex diverso poenarum fine petendas. His etiam consequens est, non posse omnia supplicia in effigie sumi: cui & hæc accedit ratio; quod nec rei permittat id natura: sunt enim quædam poenarum, quæ si exercerentur in effigie, risum

sum potius & cachinnum excitarent, quàm terrorem incuterent spectan-  
tibus. Ita ejectio in exilium, relegatio in insulam, damnationes ad  
metallum, aquæ interdictiones & ignis, deportationes ac banna, & hu-  
jus generis alia plura, exhiberi minimè poterunt in effigie. Et si ejus-  
modi quoque poenæ ita præluderentur, futurum esset, ut acerbiora illa  
supplicia, evilescerent. Addo & illud: tanta crimina non esse illa, qui-  
bus recensitæ destinatæ poenæ sunt, ut, si rei listi non possunt, in simula-  
cris vindicentur. Ne ea, cum leviora sint, tantis Respublica prosequitur  
odis, ut vicariâ poenâ in imaginibus interim satiari necesse sit. Quan-  
quam & poenas minùs capitales, ut amputatio manuum, exercitas in effi-  
gie esse, non imus inficias.

§. X. Nunc ut planum fiat, quæ speciatim nominatimque sce-  
lera illa & delicta sint, quæ & in imagine luenda, exempla hic adducere,  
huc vocare juvabit. Ordinemur ab illo crimine, quod summum maximeque  
nefandum habetur ab omnibus, ac in Majestatem Divinam commit-  
titur, & Blasphemia vocatur: quo impia ore impio, ac divino indigna Nu-  
mine, scelestissimi homines evomunt, divinamque Majestatem lædunt,  
& convitiis Numen sanctissimum optimumque petunt, contumeliâque  
horrendo prorsus ausu afficiunt. Quod crimen morte piandum esse, &  
sacræ pandectæ declarant, & prudentum saniorumque populorum leges  
confirmant. Cum igitur capitale esse constet, animadverti etiam in ef-  
figiem sceleris hujus rei posse, manifestum est, & ex suprâ disputatis  
intelligitur. Exemplo hoc declaraturi, producimus in scenam THEO-  
PHILUM, hominem impium, sui ac omnis pietatis oblitum, adeoque mi-  
nimè Theophilum: qui carminibus in Deum Satyricis non compositis  
modo; sed etiam in lucem publicam editis, divinæ Majestatis læsæ reum  
se fecit, atque scelere ad omne ævum infami polluit. Hinc, ut PIERRE MA-  
THIEU tradit, (p) à Procuratore Regis Ludovici XIII. in suprema Parla-  
menti Parisiensis curia, reus læsæ Majestatis divinæ factus, & ad sonitum  
tuba ter, quanquam brevioribus intervallis, per omnes plateas urbis cita-  
tus, ac in termino non comparens, in ipsa causa principali, damnatus est:  
ut ante portam adis S. Virginis nudus & linteo indutus, manu tedam te-  
nens, poenitentiam agat, inde deductus ad locum supplicii, la greve, cor-  
pus comburatur, unâ cum libro, cineresque dissipentur in aerem, idque si ap-  
prehendi posset in corpore; sin minùs, in effigie ipsius: quæ effingi deberet, ut  
quam fieri posset accuratissimè, referret imaginem & habitum ipsius  
Theophili. Quod etiam A. 1623. factum esse Scriptores memorant.

B

p)Ex

p) Ex quo hanc Historiã desumpsit laudatus Frommannus §. XLVI. sæpe memorata diff. inseruit; & nos ex hoc, cum illum evolvere, integrum nobis non fuerit. Addit & aliud hujus rei exemplum Barteloti cujusdam, ex eodem capite damnati, cujus suspensa imago in patibulo est: quod eodem tempore accidisse scribit.

§. XI. Sequitur alterum crimen, quod in Majestatem humanam committitur: quæ, quò ad divinam illam accedit propius, eò majus etiam graviusque crimen, quò ea læditur censendum: hinc acerbissimis plerumque suppliciis coercetur, & in effigie absentium quoque punitur. Expertus pœnam hanc ob dictum, crimen est hoc Seculo, Comes CORNIFICIUS ULEFELDIUS, quem Daniæ Sejanum haud immeritò appellaveris: vir magnæ initiò auctoritatis potentiaque; sed sublatus in altum, ut lapsu rueret graviori. Hic enim cum sibi temperare non posset, ut ab illicitis moliminibus tumultibusque abstineret; sed novas daret subinde turbas, exitium regno illi allaturas, absens causâ cognitâ læsæ Majestatis damnatus, quòd multa contra regnum regiasque personas nefariè molitus esset; & postquam latâ sententiâ capi, & supplicio ipse justo debitoque affici non potuisset, supplicium ab ejus effigie sumtum eò modò, quem sententia postulabat; ita, ut capite dextraque abscisis, illoque suspenso, corpus in quatuor discerptum partes, quatuor, arcis angulis publicè spectandum, affixum fuerit: quod incidisse in An. 63. tradunt. (q) Comitem huic adjungo Comiti magnum Heroëm, Casparem COLINIUM, summum Galliæ Ducem; sed comitem quidem sociumque pœnæ, non verò flagitii: quippe quem culpa omnes liberant, & præter omne fas meritumque jam fatis functum, summâ infamiâ notatum, raptâ ad supplicium imagine, uno fatentur ore fidei minimè sublestæ scriptores. (r)

q) Vid. Script. Anon. Machinat. Cornif. Ulefeldii, quem citat. Frommannus. Conf. Burgoldens. Disc. VII, ad Instrum. Pacis Osnabrug. Monast. p. 222.

r) Prolixius actum hunc tragicum describit gravissimus auctor Thuanus. Lib. LIII. Histor. quem videas licet.

§. XII. Ad perduelles pergo. His quoque acerbissimas pœnas esse subeundas, omnes norunt; pertinere autem ad eos etiam pœnam in effigie, nobis ostendendum est. Non desunt exempla varia; sed sufficiat unicum. Sisto ROHANÆUM, sistere se nolentem judici; sed nihilominus in effigie luentem. Quæ res quemadmodum acta fuerit, disci-

discimus ex Gramondo; (s) ille verò ita: *Incidit in Parlamenti manus Pererius, ad Fuxenses à Robaneo delegatus, & statim instructa lite capite plectitur: instructa item lite Robaneus per contumaciam condemnatur, poenâ indictâ, qualis ex lege irrogari solet iis, quos vocant in primo capite perduelles; iste actus unâ tragicus & comicus fuit. Pererius per ora vulgi traducitur fune revinctus, traducitur & Robaneus sub larva; e qui quatuor discerpunt phantasticum corpus; gentilitium stemma ponticos sine numero mures, in tabula pictos, cum membris in ignem projecit servus publicus.*

s) *Lib. XVII. p. 751. Histor. Gall.*

§. XIII. Sed nec Tyrannos immunes exemptosque à typica hâc poenâ, videmus. Suo id exemplo docet OLIVIERIUS CROMVELLUS, cujus jam defuncti effigies, sub reditum CAROLI II. Angliæ Regis, in patriam, è patibulo suspensa, & à plebe foedata dicitur. Præterea etiam sepulchrum eversum, insignia & monumenta deturbata, acta rescissa, & omnibus posteris exuti honoribus. Quæ ex literis publicis probat lubricâ certè ac incertâ, quâ innititur fide, Frommannus, (t) Hinc dissentiens cum illò, aliter hanc rem narrat Celeb. Becmanus ex Diario Europ. (u) ipsumque cadaver Oliverii humo priùs effossum, suspensum cum duobus aliis, memorat.

t) §. XLII. *Diss. c. u) Diss. de poenâ §. IIX. Cap. II. quod ipsum inspicere Diarium, nobis non licuit. Suffragatur etiam Celeb. Strauchius in Continuat. Sleidan. p. 597.*

§. XIV. Reliquos uno complector fasce. Addendi autem sunt prioribus, proditores, transfugæ, seditiosi, rebelles, & qui detestando turpissimoque contaminati Sodomix vitio sunt: de quibus tamen adhuc videtur his esse sub iudice, & obstare turpitudine peccati huius summa, ut occultandum potius tegendumque sit, quam publicâ in effigie impuri foedisimique hominis poenâ, ante oculos omnium ponendum ac divulgandum. x) Reliquos verò jam nominatos omnes sine controversiâ poenâ hâc dignos judicarunt leges humanæ; quòd exemplis evincere proclive esset, nisi vocarent nos adhuc addenda alia. Et quis omnia scelerum recenseret genera, hâc poenâ coerceri solita? nec enim ita jam allatis, aut certis quibusdam aliis destinata illa est, ut extendi ad alia non possit: imponi enim longè pluribus, imprimis atrocioribus potest, iisque ferè omnibus. Quod prudentiæ curæque Magistratûs relictum est, qui eam adhibere potest, quoties opus eâ esse censeret. Cui enim poenas pro

B

que

suo arbitrio constituendi concessa potestas, illi etiam liberum erit, & hoc supplicii genus iis destinare criminibus, quæ ordinariis extingui pœnis non possunt. Imprimis autem tunc pœna hæc in subsidium vocatur, si delictorum sæpius etiam prohibitorum nec modus, nec finis est. Cùm enim crescunt delicta, sæpiusque iterantur; ita ut abiisse videantur in consuetudinem, graviora jam habentur, & majori quàm antea severitate puniuntur. Et ubi ordinariis pœnis locus non est, in illarum succedant locum extraordinariæ oportet. Recentiori hoc confirmatum ibo exemplo: quod primo mihi meritò ponendum fuisset loco; sed meliori jubente id ordine, huc reservatum. Biennium est, quod Potentissimus Elector Brandenburgicus, justissimus princeps Sapientissimusque, ad compescendam infringendamque licentiam in certamina ruendi singularia, quæ Duella barbarè vocant, cum aliis id hætenus efficere pœnis non potuisset; sed plerique hujus rei convicti, ad effugiendam, quam imminere sibi animadvertabant, pœnam, in fugam se coniecissent, publicè sanciret, ac juberet, ut imposterum etiam effigiei pœna, quam promeruerit, fugiens, irrogetur. Non pigrarer apponere verba, quibus sententia hæc continetur, nisi omnibus hæc maximè nota esse, crederem. y)

x) *Conf. hanc in rem Frommannus § XLIX. y) Vid. Edict. wiesder die Duella. Artic. VIII.*

§. XV. Properamus ad finem, Constituimus hunc geminum: I. ad indicandam criminis atrocitatem ac detestationem. Sic & Cadavera rapi ad supplicium videmus, nullum alium ob finem, quam in detestationem criminis, & ut declaretur, digna fuisse illa, dum viva essent, quæ pœnâ hæc afficiantur. Bruta quoque variis modis interficiuntur, non ob sui pœnam; sed ob eundem planè finem. Animadvertitur etiam in alias res inanimatas, illæque corrumpuntur ac destruuntur. Par igitur & hujus pœnæ, quæ in effigie spectatur, ratio est, eodem susceptæ fine, ut sc. reliqui intelligant, ejusmodi hoc esse crimen, quod omni modo puniendum sit, & cùm præsens reus non sit, ut luat in corpore, plectendum eum esse in effigie, & per ejusmodi actum reddendum infamem. (z) Addidimus etiam II. in exemplum. Exemplum ad omnes pœnas pertinet, & in omnibus intenditur; potissimum autem in iis, ubi reliqui fines vix obtineri possunt. Ita enim efficitur, ut alii exemplo deterreantur, & supplicii terribili apparatu, animis vulgi horror incutiatur, quo ab ejusmodi sceleribus abstineant, animadvertentes, tam acriter puniri ea,

ea, ut etiam fugientes poena maneat, nec ullus modus, aut locus relin-  
quatur, quaerendi effugium.

z) *Becm. l. c.*

§. XVI. Nunc, quod maximè rem, causamque continet, utrum  
jure poena hac in imaginibus exerceri possit, videndum, hujusque rei ra-  
tiones, rationumque quaerenda momenta sunt. Ubi primò illud dif-  
ferendum cum prudentioribus, concessum esse, in res etiam inanimes  
quascunque animadvertere, ob finem supra indicatum, si conditio cri-  
minis & atrocitas, id postulet: quod adeò certum est, ut & à lege divinà  
robur accipiat, quà traditum sancitumque novimus, ut in causâ gravio-  
ris peccati urbes vastentur, diripiantur templa, subvertantur aræ, com-  
burantur & excendantur luci, atque alia, quæ vel materiam peccandi  
vel occasionem suppeditarunt, aboleantur prorsus ac destruantur. Cu-  
jus etiam sæpè deprehendimus mandati executionem, & Scriptura Sa-  
cra multis hoc exemplis confirmat. Ex quibus vim probandi accedere  
nostræ puniendi consuetudini arbitror, ut nec minori liceat jure poenæ  
exempla in effigie edere, quo in reliquis rebus inanimis vi præcepti di-  
vini permissum fuit.

§. XVII. Legibus, quas jus civile hæc in parte tulit, ac in foro vi-  
gere novimus, impræfens militare nolumus, quæ passim hoc poenæ ge-  
nus approbantes, nostræ suffragium sententiæ præbent; Sed hæc meritò  
Jurisprudentiæ Doctoribus expendenda & probanda relinquentes, hu-  
jus rei Lectorem cupidum, ad illos remittimus.

§. XIX. Aliis nos igitur muniemus rationibus: quarum pri-  
mam à Magistratûs civilis potestate ac jure desumimus. Illud inter omnes  
constat, polere summos rerum in Republica arbitros inter alia & mi-  
nuendi poenas & augendi jure facultateque, pro delictorum diversitate,  
& si circumstantiæ, ut vocant, id exegerint. Nam uti Magistratui omni-  
bus tuenda curis Republica est, ejusdemque felicitas omni promoven-  
da studio; ita vicissim ipsi omnia, quæ tranquillitatem publicam vel im-  
pedire, vel turbare possunt, avertenda summovendaque. Jam verò cum  
nullâ re magis in discrimen societatis adducatur salus, quàm sceleratissi-  
morum frequentiam hominum, eorundemque nefariis moliminibus. Hos  
tanquam in gyrum rationis, ut ille ait, doctrinaeque duci oportet. Quod  
si verò emendari non possunt, sed audaciâ corroborati legibus resistunt,  
supprimendi & è medio tollendi, vel quavis aliâ justâ decentique ratio-  
ne reprimenda eorum audacia: aut in tuto nunquam collocata erit res.

publica. Quare quotiescunqve usus poscit, & necessitas flagitat, sceleris-  
que ratio requirit, nec aliud impios compescendi medium suppeditet, uti  
poterit jure suo Magistratus, & reos fugientes, aut morte abreptos præ-  
maturâ plectere in effigie; ne cum impunita dimittantur atrociora cri-  
mina, leviora habeantur, aliiqve impunitate illâ ad peccandum allician-  
tur: sed ita si scelesti nequeant, scelera fugiantur.

§. XIX. Quæ fient eò clariora, pleniusqve intelligentur, si à diversâ  
delictorum naturâ, diversoqve poenarum fine argumenta huc porro ar-  
cessivero. Nec æqualia, nec unius generis delicta esse; sed uti ratione Ob-  
jecti atqve Subjecti; ita & ratione loci, temporis, aliarumqve cir-  
cumstantiarum, vel graviora, vel leviora censerî, jam §. præcedente  
innuimus: quod adeò certum exploratumqve est, ut probatione opus mi-  
nimè sit. Hòc autem ita positò fixòqve, nec esse; æqualem omnium pec-  
catorum posse poenam; nec unum eundemqve poenarum finem, haud  
dubie sequetur. Fines poenarum tres communiter Moralis Doctores  
prudentiæ numerant: quorum respicit prior illum, qui peccavit, ut mali  
dolore, poenæ ipsi loco perferendi, emendetur, & peccandi libido per  
eundem extingvatur; & hic ubi propositus est, procedi ad mortem non  
potest. Alter pertinet ad eum, cujus intererat non esse peccatum: ut  
ipsi justâ debitâqve satis fiat vindictâ, caveaturqve, ne posthac tale quid  
patiatur vel ab eodem, vel ab alijs. Tertius est utilitas indistinctè quo-  
rumlibet; dum per severitatem poenæ, securitati consulitur omnium, &  
exempla eduntur, quæ intuentes reliqui, ab ejusmodi deterreantur fa-  
cinoribus, atqve poena unius, metus multorum sit. Hi fines poenarum  
sunt: qui verò non in omnibus poenis pari semper modò intenduntur. In  
quibusdam enim sceleribus major habetur exempli ratio, minor vindi-  
ctæ; in alijs verò vindictæ major, minor exempli. Ita in iis delictis, qui-  
bus privatus læditur, illiqve vel damnum infertur, vel injuria, & læsi ha-  
betur, & simul universorum ratio. Non autem affirmare dubitavero,  
potissimùm hoc in casu secundum spectari finem, adeòqve vindi-  
ctam. Nec nos destituit ratio. Hic enim adæqvata delictorum obser-  
vari mensura potest, pariqve quâ commissa gravitate, flagitia hæc exsolvi  
possunt; cum tantum reo doloris infligitur, quantum intulit ipse alteri;  
ita ut sanguine sanguis, mors redimatur morte, ac delicto ex æquo re-  
spondente vindictâ, justa servetur proportio. Secùs autem se res habet,  
si de sceleribus in personam, aut rem admisis publicam, quibusque di-  
re-



rectò salus petitur & felicitas publica, quaestio est. Nam, quí potior híc vindictæ ratio esse potest, quàm exempli? aut quí à reò sumtâ quali- cunqve vindictâ, fieri parti læsæ satis, delictumqve pñati pœna? cùm tan- ta hujus generis peccata sint, ut æqualis ac par iis pœna non inveniatur; quin eam multis superent modis. Nulla sanè proportio inter damnum reipublicæ illatum, & inter pœnam rei est, etsi hoc delictum ille, pœnâ luat acerbissimâ. Semper enim delictum pœnâ majus manet, nec satis ei dignum inferri supplicium poterit, cùm non unam; sed omnes omni- nò leges reus violasse, creditur. Quod exemplo criminis læsæ Majesta- tis illustro: cui mitiorem semper, etiam si gravissima sit, irrogari pœ- nam, tradunt; quàm quæ nefandum hoc exhauriat facinus. Propterea tamen impunes ejusmodi scelerum rei dimittendi non sunt; sed aliqui nihilo seciùs pœnâ severiori afficiuntur; quo, cùm alter finis intercidat, alter obtineatur; ut scilicet, suo doceant exemplo cæteros, ea sancta & credere, & habere, quæ ab ipsis turpiter violata sunt, ne impofterum suæ metuere securitati respublica habeat necesse. Cùm verò, si potior vindictæ cura ultionisque malitiæ rei, requiri maximè, nemo non videat, ut sit reus præsens, & in corpore luat, quòd vindicari scelera hæc non nisi dolore possint, quem sentiat oportet reus, cujus repellenda coër- cendaqve malitia est, repeti à reo absente hoc in casu pœnam haudqua- quam posse, manifestum est. Ex adversò autem in cæteris criminibus, ubi exemplo maximè opus est, & ad terrorem metumqve res omnis spe- ctat, in absentem quoque pœnæ promeritæ suscipi executio commodissi- mè optimâque ratione poterit, & supplicium perinde in effigie repræ- sentari, quàm in corpore. Quod ulterius ex Frommanno ita demonstro. *Cùm conspectu supplicii deterrendi alii sunt, id potissimum agitur, ut car- nificis acies non tam maleficorum corpora, quàm oculorum aciem intrent & plebis perstringat, & crudelitas exasperata pœnæ, spectanti magis populo exhibeatur, quàm reo infligatur. At verò eadem ita Legislatoris ac vindi- ctæ magnitudo vulgo præsentem apparet, sive in ipsâ personâ; sive in effigie se- veritas exhibeatur pœnæ: cùm etsi fiat in persona, non tamen ipse dolor; sed imago duntaxat doloris ad populum deveniat adstantem, & inspectan- tis animum penetret. Neque enim hic terrentur Spectatores sensu pœ- næ; sed imaginatione; quæ perinde concipitur atque mentibus impri- mitur, sive supplicium in ipso corpore exerceatur Delinquentis, sive in effigie. Pati enim pœnas eorum est, qui deliquerunt; & quorum delicta*

me-

*metuuntur, eorum est patientis imaginem conspectu animoque concipere.*  
l. c. §. XIV.

§. XX. Nec est, quod quis objiciat: absurdum videri percutero securi imagines, ensesque feralem in simulacra stringere, adeoque poenis ea subicere, in quæ nullum poenæ requisitorum cadit: cum iis neque invitis, neque cum dolore, nec ob culpam inferri meritumque possint, & cum nec sensus iis insit nec ratio, perinde sit, sive illa corrumpan- tur, sive conserventur: atque adeo hoc institutum non minus ineptum ac absolum judicandum, quam Draconis, antea improbatum. Sed verò longè dispar hinc ratio est; non culpa in effigie quaritur, non poena in eam dirigitur, & quicquid circa eam fit, ne nomen quidem poenæ veræ proprièque sic dictæ meretur, ob sæpius allatas rationes; hinc etiam poena, non nisi æquivocè ac minus propriè à nobis de effigie dicitur; sed in reum, vel fugitivum, vel jam demortuum omnis hæc faba cuditur: ad reum omnis hic apparatus spectat, & huc non tantum judicis tendit intentio; sed & reliqui omnes hæc ita accipiunt, omniaque ad condemnatum referunt, quem poenâ hæc dignum esse, non ignorant. Tametsi autem reus poenam in corpore luendam ipse non sustineat, nec tantos dolores, quantos ex ordinariâ poenâ perferre deberet, sentiat; non tamen nihil prorsus doloris percipit, aut ab omni damno immunis est; Sufficit enim, quod cum ordinariâ debitâque poenâ affici non possit, ea interim experiatur mala, quæ ex illâ in effigie oriri solent executione: quorum certè maximum, infamia est, quæ sine dubio cum illa conjuncta cum omnis, quæ infertur signo contumelia, ad signatum redundet. Ad hæc morali æstimatione eodem reus habetur deinde loco, ac si jam tum sublatus è vivis infami supplicio esset. Taceo, quod ejusmodi disrei, præter poenam, quam in effigie jam sunt experti, plerumque proscribantur, ita ut expositis omnium injuriis nusquam tutis esse liceat; sed impunè occidi à quovis possint. Quæ sanè omnia, cum executionem poenæ nostræ, comitentur, quis ludicrum illam aut inanem putabit? quis actum ejusmodi tragicum, comicum cum Gramondo appellabit? Plures, quæ in promptu sunt, cumulare rationes possemus; Sed manum de Tabula!

N. D. S. I. G.

§(o)§

05 A 1518


ULB Halle 3  
003 778 649



VD 17







N. 9.

Q.F.F.Q.S.

EX PHILOSOPHIA MORALI

De

# POENNA

## IN EFFIGIE,

PRÆSIDE

### M. GEORGIO LUDO-

### VICO GOLDNERO,

A FONT. SAL. FRANCO,

*disputabit publicè*

*In Illustri ad Albim Academia,*

JOHANNES FRIDERICUS FROSCHIUS,

DOEHLA VARISCUS,

PHIL. & SS. THEOL. STUD.

AD D. XIII. DECEMBR. A. c 1s 1c XC.

HORIS MATUTIN.

WITTENBERGÆ,

Typis MATTHÆI HENCKELII, Acad. Typogr.

81  
UIRO IUVENI PRÆCLARISSIMO  
ac eruditissimo Dno. Joanni Por-  
tuo Phil. & SS. Theol. Studiose, sue  
fraternali observantia et amore